intellectū, nobilissimo omnium bono, negaret.
Ob has igitur aliasq similes rationes animus mihi est, in libro præsenti viam ostendere, quâ intellectus noster, quoad naturalib. mediis fieri potest optimè perficiatur. Nulla verò in limine hujus rei utilior consideratio erit, quam quæ bene expendit, ad quem quantumq perfectionis gradum evehi possit intellectus, ut hac ratione quilibet sapientiæ studiosus scopum, ad quem solum collimare eum oportet, semper sibi habeat præfixum. Sed ne hac in re stabilienda fallamur, non nisi ea tanquam certa assumam, quæ jamtum per ipsam experientiam satis superq sunt comprobata.

Qui Matheseos interiora attentius perlustrarunt observarunt absq dubio, in eâ acquirendâ dari tres imprimis cognitionis gradus. Primus horum est, siquis, in quot disciplinas scientia hæc dividatur, de quibus unaquæq agat, sciverit, terminorumq omnium ibidem occurrentium notitiam similiaq sibi acquisiverit. Secundus gradus est, siquis eorum, quæ Euclides, Archimedes, Apollonius et cæteri veteres in hac ipsâ his fundamentis superstruxere, cognitionem sibi